



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. De errore citra tertij damnum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

facit, ideo Confessarius ex Mendicantibus extra Italiam, & in Vrbe, satis est si sciatur excommunicationes Bullæ Cœnæ, quoniam iam modo compendiosè deliberavi. Confessarius autem ex iisdem Mendicantibus intra Italiam, & extra Urbem, sufficit si sciatur easdem excommunicationes Bullæ Cœnæ: & insuper ex modò dictos casus Pontificios: & denique casus ab ordinario Diocesis, ubi degit, reservatos. Demum Confessarius non participans privilegia Mendicantium, non solum prædicta scire debet; sed etiam illas alias excommunicationes reservatas in iur., & in Extravagantibus, quorum Catalogus, ut supra dixi, est apud Filliucium tractatus 15. §. 16. in fine, qui quia longus est; hic transcribere operæ pretium non fuit: est tamen apud eundem in *Instructione brevi artic. 5. brevior Catalogus ordinarius excommunicationum reservatarum, quo si mavis uti ad facilitatem, potes.*

CAPUT VIII.

Quid faciat Confessor si erraverit in absolvendo.

§. I. Proponitur Quæstio.

Tripliciter id evenire potest. Primum si erraverit in quoad valorem Sacramenti, absolute, ergo v.g. sine potestate: ut si absolvisset reservatis, vel sine intentione, vel sine debita pœnitentis dispositione. Secundò si erraverit, quoad aliquid, quod erat in damnum Tertij, v.g. non obligavit ad restitutionem debitam: & idem est si obligavit ad indebitam. Tertio si erraverit in aliquo, quod nec bonum Tertij, nec validitatem Sacramenti læderet; sed solum v.g. non interrogavit de numero; vel de requisitis circumstantiis peccatorum, vel reliquit pœnitentem in occasione proxima. Iam de singulis hisce eventibus, nostro more, breviter.

Sed prius advertendum est, eiusmodi errores, vel à Confessario posse committi ex culpa mortaliter gravi; quoniam *malam fidem* vocabo: vel ex nulla, aut saltem venialiter levi, quam appellabo *bonam fidem*: nam hac distinctione posita, clariora evadent, quæ subdenda sunt, ultimo autem facimus à tertio.

§. II. De errore circa Tertij damnum.

Quando ergo Confessarius erraverit tertio modo, scilicet bona fide processit, ad nihil illi obligo, sed Deo omnia commendet. Ita Filliuc. in *instr. brevi. cap. 4. §. dico 2. Delugo disp. 22. de pœnit. sect. 3. n. 75*: si mala fide, debet diligentiam moralem adhibere, ut pœnitentem admonere; Sic idem Delugo num. 74. de cuius admonitionis modo, mox aliquid attingam num. 6. Ratio est, quia in posteriore hoc eventus Confessor esset causa ne pœnitens obligatus v.g. confiteri integrè omnia peccata, tali obligationi, saltem materialiter, non satisficeret. At in casu priore non censetur causa moralis. Huius autem ratio ulterior est, quia bona fides facit, ne nunc Confessor sit, seu censetur ejusmodi, causa moralis: nullam enim culpam adhibuit; & ut suppono; non dixit pœnitentem non esse obligatum, sed solum tacendo non interrogavit, vel non obligavit, Sane si quis ex Fidelibus, die festivo, quem ipse credebat, feriarum, laboraret; ego non obligaret facere eum de diei festivitate, si ejusmodi monitionem docere non possem sine meo gravi incommodo: & ratio est; quia non teneor ex iustitia: quod si teneor ex charitate; certe illud incommodum me excusat: ut est communis doctrina in omnibus obligationibus provenientibus ex debito Charitatis. Ita est in casu nostro: nam ex vna parte grave censetur incommodum, cum meo rubore, &

ostendendo me errasse, monere pœnitentem: & ex alia nullum damnum obvenit pœnitenti bona fide procedenti (ut supponimus) & solum materialiter, legem de integritate Confessionis non observanti.

Petes; quid si bona fide positivè deobligavit: vel: quod in idem recedit, pœnitens mortuus ex silentio Confessarii putavit, se non obligari ad prædicta? Respondet: regulariter ad nihil illum obligari docet Filiucius loco cit. Ratio obligari docet Delugo n. 74. cit. Rectè uterque: tunc enim esset obligatio, cum omnibus perpensis non esset grave incommodum Confessarii admonere: quia verò ratio non adest ille rubor in retractando, potest rectè dici regulariter non obligari.

§. III. De errore cum damno Tertij.

Quando erravit secundo modo, nempe cum Tertij damno: distinguendum est. Quando enim tacuisti, hoc est, nec illum positivè obligasti, nec deobligasti positivè: si quidem bona fide processisti ad nihil te teneri putant graves Auctores, propter rationem modo dictam §. precedenti. Filliuc. in *instr. brevi. cap. 14. §. dico 2. strictius loquitur Delug. de pœnit. disp. 22. sect. 4. n. 65*. si autem mala, teneris admonere pœnitentem de patratò errore, ne scilicet patiatur damnum innocens causa tua, Sic Delug. *ibid.* Si tamen non admoncas, licet pecces, non teneris ad restitutionem: quia Confessor non tenetur ex iustitia querere bonum temporale aliorum. Quod si illum positivè obligasti, vel deobligasti: si mala fide id à te factum est, certè obligaris vel monere cum affectu, quo ipse restituat: vel si nolit, seu iam tunc non possit, cum potuisset ante tuam deobligationem, tu teneris restituere: fuisti enim causa positiva damni, unde obligaris ex iustitia. Sic *ibid.* Si verò bona fide processisti: etiam obligaris (sic urgente damno Tertij) cum aliquo tuo incommodo: non tamen cum tanto, quanto si mala fide processisses: quia nunc teneris ex Charitate, non verò ex iustitia, ut dictum est. Ita *ibid.* Aliqui cum Delugo citato *ibi. num. 61*, putant in hoc casu adesse obligationem aliquo modo ex iustitia: si quis enim sine culpa incenderet domum alienam: ut primum id advenit; tenetur (aiunt) ex iustitia, si potest, non cum tanto incommodo extinguere: licet alius, qui non incendit, non ex iustitia, sed ex sola Charitate teneatur. Ita in casu nostro, &c.

§. IV. De errore cum invaliditate Sacramenti.

Quando Confessarius erravit primo modo, hoc est, ita ut Sacramentum Pœnitentiæ, quod administravit, invalidum fuerit: si fide mala processit, debet omnino, cum suo etiam gravi incommodo, pœnitentem admonere, sic exposcente damno scienter illato à Confessario. Ita Filliuc. in *instr. brevi. cap. 4. Dico igitur primo*, & Delugo *dicta disp. 22. de pœnit. sect. 3. n. 58*. Si verò bona fide tunc solum debet (semper supponimus quod possit illum convenire) admonere, etiam cum proprio aliquo dedecore, & incommodo, quando est periculum ne pœnitens amplius confiteatur: ut si esset v.g. graviter infirmus. Ita Delugo *ibid.* Ratio est, quia tunc est periculum mortis æternæ pœnitentis: atque adeo pœnitens tunc versaretur in extrema necessitate. At si tale periculum non est: quia spes est ut iterum validè Sacramentum Pœnitentiæ suscipiat; non esset in necessitate extrema; nam in sequenti Confessione bona fide facienda jam indirectè absolvetur ab omnibus peccatis aliàs non legitimè ab solutis: Illud autem inconueniens, quod non servabitur materialiter lex Dei de sebedendis omnibus peccatis directè clavibus; rescuitur ab excusatione ducta ex rubore Confessarii, eo modo quo dictum est §. 2.

Petes; quando admonendus est ejusmodi pœnitens, quo modo fiet sine fractione sigilli? Respondet: